

† R. P. Franciscus Mohr (1891-1952) <sup>(1)</sup>

(Prov. Balt.)



Franciscus Mohr, Neo-Eboracensis, natus est 6 Oct. 1891 in sinu familiae, cuius Germanica origo iam solo nomine proditur. Sic usum facilem huius linguae mature didicit semperque retinuit. Aliquamdiu ante mortem Neo-Eboracum reversus, magno cum gaudio vidit paternam domum etiamtum stantem et in fenestris, ut olim, plagulas seu aulaea. Vocatio redemptoristica in eo, sicut in tot aliis, mature nata est sua suorumque familiaritate cum filiis S. Alfonsi. Hinc peritus lector iam scit Franciscum Mohr vixisse in Seminario minore North East, in novitiatu Ilchester, in Seminario maiore Eso-pus; sed potius ad vocaciones tardas pertinet, quatenus in emissione votorum iam numerabat 21 annos.

Corpore defunctus confrater erat quidam gigas, animo autem ex una parte vir fortis, nullum si oportebat, fugiens sacrificium, ex altera parte quasi infans, scilicet simplex, festivus, bonus.

Finitis studiis adscriptus communitati Baltimorensi ad S. Iacobi, gratus erat paroecianis senibus ob suam idiomatis Germanici peritiam, sicut postea Italis paroeciae collegio North East adnexae sua huius linguae scientia, quam tempore studiorum sibi acquisierat.

Atvero multo diutius apostolatum suum exercuit tertia lingua extera, Lusitana. Cum enim Pius PP. XI Brasiliae regionibus maiore sacerdotum penuria laborantibus, ut Statui Mato Grosso, aliunde sacerdotes efflagitasset, Provincia Baltimorensis Novembri 1929 « experimenti causa » eo misit P. Franciscum Mohr et P. Alfonsum Hild. Huic iuniori apostolo in Terra S. Crucis non est concessum nisi quinquennium ardui, at fecundissimi laboris; etenim ineunte a. 1935 carcinomate intestini coactus est in patriam reverti, et 13-VI-1936 Brooklynii sancta morte ad caelestem mercedem avolavit, iuvenili aetate 41 annorum <sup>(2)</sup>.

Ipsi « fundatori » Patri Mohr licuit diutius in illo campo strenue laborare. Fuit primus Superior domus Aquidauana, a. 1931, finito illo « experimento », renunciatus est primus « Visitator » totius Missionis et a. 1946 primus Superior

(1) Cf. *C.S.S.R. Chronicle*, Febr. 1952, n. 43.

(2) Videsis *Analecta XVI* (1937), 170-174 eius necrologium cum variis notitiis etiam ad Patris Mohr vitam spectantibus.

novae Vice-Provinciae de Campo Grande. In nominationibus anni 1939 ei commisum est gubernium domus Bela Vista, Mato Grosso, et post sexennium regimen domus Campo Grande eiusdem Status. Simul erat Consultor Vice-Provincialis.

Post suum in patriam reditum (1947), ob vires fractas, in variis Provinceiae collegiis per tempus potius breve stetit, a Domino probatus multis infirmitatis, velut glaucomate oculorum et cirrhosi iecinoris, unde iterato medicorum et chirurgorum manibus sese committere debuit. Die 11 Ian. 1952 valetudinis eius condicio facta est adeo gravis, ut statim deferendus esset in nosocomium Neo-Eboracense S. Francisci; ibi die 17 in coma intravit et die 22 spiritum, doloribus purgatum, suo Creatori reddidit, habens 60 aetatis annos et paucos menses.

In Patre Mohr denuo veritatem recepit illud: *Omnis pinguis bonus*. Eius in dandis eleemosynis liberalitas, quo tempore erat Superior, in illo Provinceiae folio vocatur « phaenomenalis ». In vita communitatis eius hilaritas et comitas multum semper conferebat ad gustandum illud: *Ecce quam bonum et quam iucundum...* Ignorabat sensus aversionis contra quemcumque, etiam in adversarios, si quos habebat. Provinceiae Missio Brasiliana magnanimitati huius primi Superioris multa debet. Tanta erat eius in divinam Providentiam fiducia, ut sex novas fundationes inciperit temporis spatio infra quadriennium, et denuo verificatum vidit illud: *Nullus speravit in Domino et confusus est* (Eccli. 2, 11).

Confratris optime meriti exsequiae habitae sunt a Pl. R. P. Provinciali Ioanne Sephton in ecclesia Neo-Eboracensi viae terțiae, cuius communitati defunctus ultimo adscriptus fuerat, cum oratione funebri R. P. Gulielmi Gaudreau. Sepulturam recepit in coemeterio domus studiorum Esopus.